

Libri quinti & vltimi de materia  
medica finis.



PEDACII DIO-  
SCORIDIS ANAZAR-  
bæi liber de Venenis, eorum-  
démque præcautione ac  
medicatione.

IANO ANTONIO SARACE-  
NO LVGDVNÆO, INTERPRETE.

*PRÆFATI O.*

VONIAM superioribus libris,  
amicissime Areæ, tradidimus  
de aromatibus, oleis, vnguentis,  
arboribus ac earundem fructibus  
& lacrymis, insuperque de ani-  
malibus, melle, lacte, sevo, frugi-  
bus, oleribus, radicibus, herbis, succis; denique de vi-  
norum

norum metallicorumque generibus: in hoc operis totius ultimo, de viribus noxiorum medicamentorum, ac eorum que contraria prodesse possunt, differemus. Vitata igitur sermonis prolixitate, opus institutum prosequamur. Huiusmodi autem de venenis tractatus cum bipartito distributus sit: in eam videlicet partem quae docet quo pacto ipsa præcauere debeamus, ita ut plane non assumantur, aut, si quando per imprudentiam data fuerint, ut tum quoque innoxia irritaque fiant: & alteram, quae rationem tradit iis succurrendi qui iam noxam sensere: priore loco differam de præcauendi modo: quem quidem esse difficilem prisci existimauerunt: quod clanculum venena exhibentes, iis videntur artibus, quibus etiam peritis simum quenque fallant. Siquidem exitialia venena permixtis dulcibus amaritudine sua spoliant, & graue odoris virus mistura odo- ramentorum eximunt, aut medicamentorum quae potissimum in minus firma valetudine utilitatis gratia exhiberi putatur, veluti sunt absinthium, tragoraganum, hyssopus, satureia, itemque thymus, origanum, abrotонum, iris aut castorium, & siquid aliud malefica vi præditis medicamentis cognatam qualitatē habere videatur: vel ea potulentis inferunt, ut vinis asperis, iusculis, passo, aquæ mulsæ, musto, aut variis succorum generibus: vel

R. r. iii.

ip̄i lenticulæ polentæve, aut aliis quæ edulij specie offeruntur, imminiscent. Quamobrem suspicioſi curiosiūs apparata fercula vitare debent, omnīque intenso sapore dulcium, falsorum aut acidorum abstinere. Quin neque fitibundi affatim bibere, aut esurientes audiūs deuorare debent, sed ad eorum quæ edunt bibūntve saporem qualitatēmque diligenter attendere, & ante omnia potu frigidam aquam præsumere: sic enim satiato appetitu, qualitates postea facile deprehenduntur. Quod ad ægros verò spectat, honeste recusamus potionēs auxiliij prætextu dari solitas, quas offerunt improbi veneficiorum artifices: quod fit ut ægrotantes audientium iniuriis minūs pateant. Et hęc quidem, ne facile incauti homines capiantur dolis veneficorum, ratio est & facultas. Verū altera supereft expeditior, ut suspicioſi aliquid præsumant, quod venenorū vires hebetet, ac inefficaces irritāsque reddat. Eiusmodi caricae sunt cum iuglandibus nucibus manducatae, & quæ citri mala vocantur, semi-nīsque buniadis drachma vna cum vino: itidēmque folia calaminthæ, aut rubrica quæ sigillum Lemnium appellatur, pari pondere cum vino: aut rutæ folia, nucis iuglandis nucleum, salis grumum & caricas duas ieiuni sumant, & nullo veneni genere offendetur.

tur. Quin & antidota ex vino præsumpta, eundem præbent effectum: ex quorum numero sunt, quod ex scinco paratur, quod è sanguinibus temperatur, & quod magni Mithridatij nomen obtinet. Quin & sacerdotiū merò naturali dissidio venenis aduersantur propriæ ac peculiares quædam corpori cōstitutiones, insuperque antecedētes eorundē dispositiones, pro varia ciborum potuū mye qualitate aut vini copia inductæ. Siquidem venenorum quæ insuper ingeruntur vires frangunt & exoluūt, eorūmque in membra distributionem impediunt, priore alimento antè infarctis præclusisq; meatibus. Verum enim uero quandoquidem inter peregrinādū incōmodi casus varij absq; ullis hominū insidiis similia frequenter inuehunt pericula, nonnihil etiam hac de re agere necessariū duco. Ante omnia igitur loco subdiali, quo ad eius fieri poterit, coquinari, fercula struere, omniāque cibo potuīq; necessaria appara-re oportebit. Quod si nō nisi sub te ēto cōmodè ista fieri possunt, tūm quoq; laquearia diligenter obseruāda sunt. Etenim haud rārō è superioribus contignationibus mortifera decidūt animalcula, vti phalāgia, quēdā alia reptilia, & qui stellio appellatur. Sed & vinaria vasa diligenter & in luce intueri o-portet: nanq; reptilia vini odore illiciuntur.

R. i. iiiij.

quæ interdum sorbendo noxium virus eru-  
tarunt, interdum verò illapsa immersaque  
perierunt, & iis qui postea vinum hauserunt  
exitij causam attulere. Et hæc quidem de in-  
fidiis vitandis præcauendisque hactenus di-  
cta sunt. At si qui seu vtrio, seu ex quorundam  
infidiis venenum hauserint, iis nulla inter-  
posita mora auxiliari oportebit. Siquidem  
dum signa, quæ singula comitari venena so-  
lent, expectantur, immedicabile fit malum,  
aut certè diutius neglectum, ægrè deinde  
medicamentis cedit. Quare si qui venenū se  
haussisse pro comperto habent, aut qui iis ad-  
fuere quod qualéve sit haustum genus vene-  
ni fateantur, protinus accedentes ad congrua  
particulariave remedia, illos facilè naturali  
pristinæque constitutioni propriæ restituemus.  
Neque verò iis assentimur, qui proflus  
auxilia in huiusmodi casu frustrà adhiberi  
contendunt. Quo enim modo morbi, quo-  
rum causæ cæcæ latentésq; corporibus insi-  
dent, medicaminibus curabuntur, quæ verò  
forinsecus incurrit venena medicinā haud-  
quaquam admittent? Æquè porrò omnes cor-  
poribus aduenientes morbi pro causarū in-  
gruentium magnitudine, proque antecedē-  
tibus affectionibus ac opportunitate habili-  
tateque corporum, vel medicabiles sunt, vel  
nullis cedunt medicamentis. Quod si qui for-  
san

san vocis interceptione aut mentis alienatione correpti , aut alioqui nolentes veneno liberari, nullam nobis eius cognitionē præbeant : tūm protinus ad ea transeundum re media , quæ in communī epotis quibuscumque venenis opitulari consueuerunt. Atqui nullum communius auxilium dāri potest, quām quod exhibitum venenum per proximum locum foras pellit , priusquām ipsum inualescat. Quamobrem illis sine mora calidum oleum seu per se, sex ex aqua, ut ad vomitum cogantur, exhiberi conuenit. Quod si oleum natura loci negat, eius vice butyrum aqua calida, aut maluæ, vel seminis lini, vel tragi, vel foenigræci , vel seminis vrticæ, vel alicæ decocto potest administrari. Hæc enim non modò venenum vomitionibus exigent, facile laxando subuentendoque ventriculum: sed & aluū subducent, ac simul etiā qua pollut acrimoniā obtundendi hebetādique facultate impedient, quominus corpora vlcerentur. Verūm inter cætera illud maximè præstabit oleum : id quod euidenter huiuscemodi argumento deprehendere licet. Nam si quispiā viua calce, aut fæce, aut cantharidibus, aut alio quoquis acri corpus exulcerare contendat, id si prius oleo leniter oblitum fuerit, in eo vlcus excitare minime poterit. Imò verò si quis corpus prævētū

vehementer astringere aut perfrigerare ve-  
lit, frustrà id tentauerit. Vomitus præterea  
nō ob id modò, quòd vacuet ac virus noxiū  
excernat, iuuamentū affert, sed & quòd hau-  
stum venenum nonnūquam odore, concre-  
tis grumis aut colore prodat: quippe cùm o-  
odore & amaritudine papaueris succū, colore  
cerussam gypsumve, grumis lac aut sanguineum  
animalis recèns iugulati ostendat. Sic  
quoque ex eorum quæ vomitu regesta fue-  
rint qualitate virosq; odore, leporis marini  
& rubetæ beneficia facile est deprehendere:  
vt hac potius ratione, quam alia quapiam o-  
peim quibusdam afferre nobis in p्रoptu sit,  
ad propria & singulis venenis accommoda-  
ta auxilia transeuntibus. Oleo porrò maluæ  
decoctum adiunscetur, aut adeps anserinus,  
aut pinguium carnium iusculum, aut lixiuū  
lignorum citere factum. Vbi verò vomitus  
diligenter citatus fuerit, nequid proslum in  
ventre relinquatur, quæ intestinis hæserint  
reliquias acriore clystere deuocabimus. Fa-  
ciunt & ad hoc ipsum nitrum tritum cum  
hydromelite assumptum & vina vetera li-  
beraliū epota: iura itideim gallinacea, præ-  
pingues pisces, carnes vetustæ simul & pin-  
gues, & quæ eduliorum genera adipe aut re-  
centi butyro constant. Dum nanque aluum  
subducunt, vt diximus, ac ventriculum re-  
soluunt,

foliunt, proniorem ipsum ad vomitionem reddunt: hebetant & venenorum acrimoniam, atque meatus obstruentia, celerem venenorum penetrationem inhibent. Quintam medicamenta dantur quæ communi dote prosunt: è quorum numero est rubrica Lemnia, agaricum, abrotonum, irio, radix eryngij, semen pastinacæ & calaminthæ, Celtica nardus, castorium, ferulæ virulentis medulla, flos nerii quod rhododendron appellatur, marrubij succus, laserpitium ipsiusve succus & radix quam etiam magudarin appellant, sagapenum, opopanax, peucedani succus, aristochchia longa, sylvestris rutæ semen, & cestri, quæ & betonica vocatur, folia. Singula potrò cum vino drachimæ vnius pondere exhibentur. Eundem effectum præbēt, polij decoctum, scoridum, & laevis liquidæq; picis linctus. Egregiè quoque opitulantur antidota, quorum præparationes in operis calce describemus. Communis itaque ratio præstandi auxiliū sic se habet. Cæterū & ab iis quæ comitantur consequunturve symptomatis communia remedia sumptitari possunt. Ferè enim plurimorum venenorum facultates in consimiles affectus corpus tandem deducunt: quam ob causam plerisque communia conduceunt auxilia. Varia siquidem

sunt venenorum genera : communes tamen nec ita multi qui ex iis oriuntur affectus. E-nimuerò fieri nequit, vt ad vnum veneni genus omnia symptomata sequantur. Alioqui superuacanea foret quæ traditur singulis venenis propria & accommodata curatio. Neque verò facile reperiatur quisquam, qui ex vnius veneni häustu simul & semel vehemēti stomachi, intestinorum, iocinoris, renum ac vesicæ dolore crucietur, insupérque singultiat, erodatur, contremiscat, obmutescat, perfrigeretur, conuellatur, pulsu deficiatur, agrè spiret, veterno ac vertigine caligatio-neve corripiatur, stranguletur, sitiatur, sanguinis eruptione, febri, vrinæ difficultate actor-minibus labore, crebrò vomitet, nausea prematur, rubescat, liuescat, expallescatur, desipiatur, stertat, resoluatur & alia pleraque ac diuersa faciat patiatürque. Singula porrò in vniuersales affectiones distincta, paucorum eorumque coimmunium symptomatum numerum demonstrant. Quapropter ex uno singulari symptomate eorum quæ ante re-censita sunt, non facile fuerit venenū assumptum deprehendere ac internoscere. Nam oris & linguae erosio, stomachi, ventris, renū ac vesicæ inflammatio, vhemens vrinæ dif-ficultas, ac interdum etiam cruenta mictio, lacinatio, & in plurimis corporis partibus quod-

quoddam velut incendium, non tantum e-  
potis cantharidibus superuenire cōperiuntur: sed & pinorum erucis, bupresti atque fa-  
lamandrae. Ad eundem modum non solūm  
eos qui meconium hauserunt veterno ac so-  
pore prehēdi, stertere, liuescere, elanguesce-  
re, perfrigerari ac torpescere, stupescere, ac  
toto corpore pruritum pati constat: sed eos  
etiam qui mandragoram aut cicutam assum-  
plere. Sic mētis alienationem non hyoscy-  
amus tantum infert: verum etiam quæ toxica  
appellantur, itidēmq; aconitum & mel quod  
in Heraclea Ponti gignitur. Quin & strāgu-  
latio non modò ab assumptis fungis, sed &  
sanguiae taurino, laete, aconito, cerusla, gy-  
psoque conspicitur. In summa difficile est v-  
num vni veneno proprium inuenire signū,  
quod potum gustatūmve virus certò prode-  
re posuit: maximè cùm eiusmodi symptomata  
alios etiam affectus communiter cōsequi  
comitarique soleant. Attamen in iis quæ ce-  
leriter enecant, licet aliquo modo signis de-  
prehendere id quod noxam intulit, vti deinceps trademus. Verūm in iis quæ diurnas  
affectiones inuehunt, nulla in curando dif-  
ficultas est, quantumuis noxiūm venenum  
signis internoscere sit perdifficile: quippe  
cum venena statim atque præsentaneā viam  
illam amiserunt, in longos affectus trāsmu-

tata, communia reliquorum affectuum re-  
media compositionēsque flagitent, venefica  
proprietate non amplius illis inhärente.  
Proinde longa quæ ab iis excitata est affec-  
tio in aliquod diuturnorum morborū ge-  
nus recidit, à quibus facile fuerit medendi-  
rationem desumere. Atque de iis quidē quæ  
generaliter auxiliātur, hactenus. Consequē-  
ter quæ priuatum singulis conteniūt auxilia  
scriptis mandabimus: si priū tamen expo-  
suerimus, quænam in singulis rerum ordini-  
bus exitiale aut maleficā vim sortita sint  
vt si qua eorum quæ ad sanitatis vsum de-  
scripta reperiuntur, aliqua ex illis ammixta  
habeant, iis medicinæ studiosi cautiūs utan-  
tur. Inconsiderantia enim magna infert da-  
mma, & sœpè continuo eorum vſu homo in  
pernicie agitur. Animalia itaque quæ exi-  
tiōlām vim habent, hæc ferē sunt: canthari-  
des, buprestis, salamandra, pinorum eruca,  
lepus marinus, rana rubeta & palustris etiam  
muta, nec non & hirudines deuoratæ. In se-  
minum verò genere, hyoscyamus, corian-  
drum, cicuta, melanthium, psyllium: è liqui-  
ribus, meconium, opocarpasum, thapsiæ suc-  
cus, elaterium & mandragoras: è radicibus,  
chamæleon, aconitum, thapsia, veratrum, i-  
xia, agaricum nigrum, & ephemeron quod  
nonnulli Colchicum vocant, quia in Col-  
chide

chide nascatur. E plantarum ramosarum herbarumque generibus, similax quam aliqui thymalum seu thymium, Latini taxum appellant, solanum manicum, quod & dorycnion dicitur, Sardonia herba quae ranunculi genus est, corniculatum papaver, pharium, toxicum, ruta sylvestris ac fungi. Ab animalibus, taurinus sanguis recens, lac coagulatum, & mel Heracleæ in Ponto genitum. Inter metallica, gypsum, cerussa, calx, auripigmentum, sandaracha vtraque, spuma argenti, adarce, plumbum & quod argentum viuum appellatur. Ex iis quæ domestica & in quotidiano vite vsu sunt, unico haustru potum à balneo vinum largius, aut passum; aut frigida aqua similiter.

*De Cantharidibus.*

C A P. I.

**Q**UADRIVIS exhibitæ sunt Canthrides, signa eueniunt gravissima: prope modum enim ab ore ad vesicam usq; iis omnia erodi videntur, pici aut cedriæ simile quiddam in gustu obuersatur: in dextro hypochondrio inflammatione sentiunt, & urinam ægre reddunt, ac subinde cum lotio sanguinæ emitunt: strigmata, qualia ylentericis, per alium egeruntur: animi defectionib;

fastidiis & tenebricosa vertigine corripuntur: tandem verò etiam mente alienantur. Ergo anteaquam tale quid accidat, propinato oleo aut supradictorum aliquo ad vomitum cogendi sunt. Mox vbi vomitione pleraque reiecerint, halicæ aut oryzæ, tragi vel ptisianæ tremor, aut decoctum maluæ, vel feminis lini, vel fœnigræci, vel radicum althææ quam Latini hibiscum appellant, clystere infundatur. Superdandum verò iisdem nitrum ex hydromelite, ut quæ stomacho adhuc & intestinis adhærent eluantur ac deturbentur. Hæc nisi sic incisa detergeantur, alio infusa aquâ mulsa cum nitro vacuari debent. Detur deinde vinū aut passum, in quo pinei nuclei & cucumeris semina cōtrita fuerint, aut ex lacte mulsâve: vel anserinus adeps in passo liquatus. Inflammatis autem partibus, post vacuationes prædictas, hordei farina cum mulsa decocta imponatur. Ab initio quidem admota cataplasmata nocent, quod excitatus ab iis calor haustum virus detineat, ac principibus partibus impingat: procedente verò deinde tempore adhibita, molestissimis inflammationibus non mediocriter opitulantur: quippe quæ dolores & leniant & permulcent. Interim vbi corpus calfaciente oleo præunctum fuerit, in solium demittendum, ibique lauandum:

vt per

ut per cutem summam quæ corpori noxiæ  
inhæserint etiam excludantur. In summa o-  
mne genus excretionis moliri oportet, ut ne  
perennet affectus, stabilitatemque acqui-  
rat. Exhibendæ porrò carnes gallinaceæ &  
agninæ, porcellorum lactentium, & hædi-  
næ, ex quæ maximè pingues ac tenerissimæ &  
cum lini semine coctæ: siquidem & aluum  
molliunt, & venenorum acrimonias heb-  
tant. Vim quoque dulce liberalius hau-  
riendum. Sed prodest in luper tauris cortex,  
& terra Samia que aster appellatur, si qua-  
ternae singulorum drachmæ cum passi he-  
mina una sumantur. Item pulegium ex a-  
qua tritum, & irinum aut ro lacsum cum ru-  
ta decoctum; utiles & teneri vitis palmites  
cum passo detriti: omnium autem potentil-  
sime auxiliantur antidota, cum aqua multa  
drachmis quatuor epotari.

*De Pinorum cruci.*

## CAP. II.

**I**ls qui pinorum eruças hauserunt illi-  
cò dolor circa os & palatum oboritur: ve-  
hemens lingua stomachi ac ventris inflam-  
matio torquer: intestina quoque ingens dō-  
lor excruciat, ac sanguis etiam interanea pun-  
gi & erodi videntur: corpus totum exæstuat,  
& fastidium vrget. His succurrendum il-  
dem remediis, quæ ad Caantharidas deubra-

Sf. j.

tas exhibentur. Peculiariter tamen pro simili oleo & irino melinium, quod è cotonis malis & oleo temperatur, vsurpabimus.

*De Bupresti. CAP. III.*

**Q**VI Buprestin hauserunt, simile quid viroso nitro gustu percipiunt: stomachi verò ventrisque vehemens dolor insequitur: sed & stomachi ventrisque tumor qualis hydropticis accedit, totius corporis extima facies circuitendit, vrinaque supprimitur. His eadem, quæ potis cantharidi bus, auxiliantur. Priuatim autem, post vacuatum corpus tum vomitionibus tum etiam clystere, sumptis scibis aridis adiuuantur, itemque earum decoctæ & ex vino. Iā verò aliquatum inclinato affectu decedente periculo, Thebaicarum etiam palmarum cibo, aut earundem tritaram in milso lacteve potu immixtus. Pyrotum etiam num omne genus esse & lac muliebre bibe re conuenit.

*De Salamandra. CAP. IIII.*

**S**ALAMANDRAE haustum sequitur lingua inflamatio, itemque mentis quedam hebetatio, ac tremor cum corpore aut horrore quodam & evolutione: partes quoque corporis nonnullæ liuoribus circum quaque variantur, nechon & sepe immorante diur-

te diutiū veneno putrescentes sanie manant. His vbi eadem omnia quā potis cantharidibus præstiterimus, peculiari remedio exhibebimus resinam ē pinu, aut galbanum ex melle linctum, & chiamæpityos decoctū, in quo pinei nuclei simul contriti fuerint: aut vrticæ folia cum farina crassiore cocta in oleo. Prosum etiam oua testudinis mari- nae aut terrestris quomodo cunque cocta, itemque ranarum ius, cum quibus eryngij radix incocta sit.

*De Ephemero. CAP. V.*

**S**VMPTO Ephemero, quod aliqui Colchi-  
cum aut bulbum sylvestrem appellant,  
pruritus in toto corpore excitatur, non secus  
atque iis quos scilla aut vrtica momorderit,  
interiora eroduntur, stomachus cum inge-  
ti grauitate exæstuat. Cæterū inualescente  
malo, cruenta ramentis admista per aluum  
egeruntur. Hos, atque ac eos qui salaman-  
dræ hauserunt, vomitione atque clysteri-  
bus adiuuare conueniet: sed anteaquam ve-  
nenum inualescat, dandum iis decoctum  
frondium quercus, aut glandium, aut mal-  
corij: aut serpyllum ex lacte propinandum:  
item succus polygoni, aut virgultorum vi-  
tis vel rubi, aut medullæ recentis ferulæ aut  
myrti cum vino. Ipsæ porrò baccæ myrti tu-  
fæ tritæ que & aqua maçeratae opeim ferunt,

*S. f. ij.*

Liquidem earum dilutum assumatur. Media castanearum tunicula similem effectū præbet, si cruda in aliquo supradictorum succo sumptitetur: origanum quoque cum lixivio epotum. Eximiè verò iuuantur lacte asinino aut bubulo calido poto, aut in ore retento: tamque efficaci remedio, ut quibus copia huiusc lactis adsit, non aliud genus auxiliū desideretur.

*De Dorycnio. CAP. VI.*

**D**ORYCNION (quod aliqui solanum manicum, hoc est, furiosum appellant) epotum, veluti lactis saporem gustu repræsentat, crebros singultus ciet, linguae humiditatem conciliat, & effusione sanguinis reiectionem concitat: ipsi verò potionati mucosa quædam perinde atque dysenterici aluo egerunt. Itaque antequām aliquod ex hisce symptomatis superueniat, auxilio sunt antedicta: vomitus, inquam, clyster & quæcumque potum venenum expellere apta nata sunt. Priuatim verò ijs opitulantur, aqua mulsā, lac asinīnum aut caprinū, ac dulce vinum, quod quidem tepidum cum aniso bibatur, amygdalā amaræ & elixa gallinacea pectuscula. Quin etiam omnis generis conchylia, cruda pariter ac tosta, esse salutare est. Conueniunt & locustæ marinae & gammari, ac potum corundem iūsculum.

*De*

## De Aconito. CAP. VII.

**A**CONITVM statim inter bibendum lin-  
guam cum astrictione quadā dulci sa-  
pore imbuit, ac subinde, præsertim cùm af-  
furgere conantur, vertiginē inducit: oculorū  
humiditates prolicit, & grauitatem pectori  
præcordiisque affert, cù flatuum multorum  
eruptione. Proinde venenū vomitione abigit,  
aut clystere per aluum subduci opus fuerit.  
Postmodū utemur in propotissimatis origa-  
no, rutave aut marrubio cù vino absinthite  
vel absinthij, erucæ, abrotoni, chamelææ aut  
chamæpityos decocto. Prodest iis etiam nū  
opoballami drachma cum melle aut lacte:  
itemque castorei, piperis ac rutæ par pondus  
ex vino: & coagulum hœdi, leporis aut hin-  
nuli cum acetō: vinū quoq; sumptū, in quo  
ferri sterlus aut ipsum etiā ferrū, aurū, argē-  
tumve candens restinctum fuerit. Conseruit  
& lixiua cù vino, & gallinacei decocti, præ-  
pinguiūmve bubularū carnium iura cù vino  
sumpta. Fertur & chamæpitys priuatim iis  
subuenire: quæ quidē in Heraclea Ponti, vbi  
& aconitum nascitur, holocleros, Athenie  
Ionia & in EVbœa sideritis appellatur.

## De melle Heraclio. CAP. VIII.

**Q**VI mel quod in Heraclea Ponti gigni-  
tur ederint biberintve, non secus affi-  
ciuntur, quām qui aconitum hauserunt, atq;  
S. f. iij.

adēd iis eadem quæ poto aconito cōueniūt.  
Facilē verò succurritur: quippe cūm adiuē-  
tur frequenti vini mulsi potu, cui folia ruta  
admixta fint.

*De Coriandro. CAP. ix.*

**C**ORIANDRVM propter odorem latere  
non potest: epotum vocis raucitatē fa-  
cit atque insaniam, qualis ex violentia pro-  
ficiuntur, ita ut qui sumptūre varia dictū pu-  
denda blaterent: toto verò corpore corian-  
dro odor sese prodit. His post vomitionem  
oleo irino concitamat, uti retulimus, merū  
aut per se, aut ex absinthio potum auxilia-  
tur: item oleum ouāque in eo exinanita, si  
repefacta cum muria sorbeantur. Sic & epo-  
ta muria, & ius salsum gallinæ & anseris: pa-  
sum quoque cum lixiuia sumptum.

*De Psyllio. CAP. x.*

**Q**UOD Psyllium dicitur epotum, corpo-  
ri toti frigus & torporem infert, cum  
exolutione & animi quadam ægritudine  
anxietatēve. Huic omnia quæ hauito coriā-  
dro auxiliantur;

*De Cicuta. CAP. xi.*

**C**ICUTA pota, vertigines excitat & oculis  
caligines offundit, ita ut ne tantillū  
quidem cernatur: singultus etiam ciet, ac  
mentis alienationem & extremorum artū  
perfrictionem infert. Tandem ægri con-  
q[ui]lta

mūlī arteriæ spiritu intercepto strangulan-  
tur. Quare inter initia, vti in reliquis, cicut-  
am vomitu excutiemus: postmodum deie-  
ctionem moliemur, vt quod ad intestina  
prolapsum fuerit excernamus. Tum de-  
mūl ad meri potionem, ceu præsentissimū  
auxilium, deueniemus: idque interie etis in-  
teruallis, in quibus proderit lac asinini aut  
bubulum potui datū, aut absinthium cū pi-  
pere & vino: item castorium, ruta, mentaque  
cum vino, aut amomi, cardamomi vel styra-  
cis drachma: aut piper cū semine vrticæ ex  
vino, aut deniq; lauri folia. Præterea laserpi-  
tij succus ex oleo & paflo. Sed & vinū dulce  
per seſe largius potum, egregiè auxiliatur.

## De Taxo. CAP. XII.

**Q**VAE Smilax dicitur, à quibusdam thy-  
mum & à Latinis taxus appellatur.  
Pota, frigus vniuerso corpori, strangulatus  
& celerem interitum infert. Huic eadem  
quæ cicutæ conueniunt.

## De Carpasi succo. CAP. XIII.

**E**POTVS quoque Carpasi succus, soporem  
inducit, ac repentinam strangulationem  
infert. Adiuuantur itidem qui hunc haufe-  
runt epotæ cicutæ remediis.

## De Sardonia herba. CAP. XIV.

**S**ARDONIA herba, quæ ranunculi species  
est, in cibo potuys sumpta, mente è state  
Sf. iiij.

suo dimouet, & conuulsiones facit cum nictu labiorum ve contracōtione, quē risus speciem praebeat: hinc de Sardonio risu adagium in vulgus infasto omine manauit. Post vomitum peculiariter conuenit pota liberalius aqua mulsa, itēque lac: necnon & irrigatio nictiōque totius corporis per calfacientia medicamenta, prætereaque solium ex hydrelaō calente: ita tamen ut post egresum ē soho illitibus ac frictionib. minimē parcat. In summa curationem omnem quæ cōuulsioni adhibetur exequi oportet.

*De Hyoscyamo. CAP. xv.*

**H**YOSCYAMVS in potu cibōve sumptus, qualem ebriorum mentis errorem seu alienationem infert: sed facile medicamentis cedit. Auxiliatur aqua mulsa copiose data, lāque p̄fertim asinīnum; si id desideretur, *caprinum vel bubulum*, aut aridarum sicuum decoctum. Faciunt ad id etiam nuclei pinei, cucumeris semen ex passo sumptum, & vinum salsum cum adipe suillo recenti passoque: itidem yrtae semen aut nitrum ex aqua. Conueniunt & cichorium, sihapi, nasturtium, raphanus, cepa & allium, quorum singula ex vino sumi parest. Verūm postea finendi quiescere, quemadmodum qui vinum biberunt, ut excoquant.

*De*

*De Mandragora. CAP. XVI.*

**M**ANDRAGORA si bibatur, confestim sopor insequitur, exolutio, ac vehemens veterus nihil distans à lethargo. Huic, antequam quidquam ex iis accidat, vomitus proderit & aqua multa: postea nitrum & absinthium ex vino dulci aut passo sumantur. Caput rosaceo & aceto perfundatur. Proficit etiamnum excitatio & agitatio corporis: itemque olfactus tritorum in aceto euphorbij, piperis, sinapeos, castorij ac rutæ: præterea odor picis liquidæ & funiculi lucernarum, quæ vicissim accendantur & extinguantur. Quod si egrè ij reuocentur, etiā adhibere quæ steinutamenta cicant, alijsque eiusmodi communibus auxiliis ut cōueniet.

*De Papaveris liquore. CAP. XVII.*

**E**PO T O Papaveris liquore, consequitur veterus cum perfectione & pruritu vehementi. Quin s̄apenumero inualescente veneno tanta oboritur prurigo, vt hominem excitet: odor verò medicamenti toto sepe prodit corpore. Post citatam oleo vomitionem, insulūmque clysterem acriusculum, auxiliatur acetum mulsum cum sale potum, aut mel cum rosaceo calido. Item merū copiosum cum absinthio & cinnamomo, aut calidum per sepe acetum: nitrum quoque ex aqua, & origanum cum lixiuio aut passo:

sylvestris ruta semen cum pipere, vino & pâ-  
nace: ac piper etiam cum castorio & aceto  
mulso, aut cum satureia vel origani deco-  
cto, addito vino. Sed & hos odoramētis seu  
olfactoriis excitare, & in calidæ solium mit-  
tere, ac fovere oboitæ prūginis ratione o-  
portet. Proderit autem à balneo iuscitorum  
pinguum v̄sus ex vino aut passo, ac medul-  
la etiam ex oleo pota.

*De Corniculato papaveri.*

CAP. XVIII.

**Q**uod papaver Corniculatum appellant,  
& potu & cibo eadem symptomata in-  
ferre consuevit, quæ papaveris succus: ac iis-  
dem quoque expugnatur auxiliis.

*De Pharico. CAP. XIX.*

**Q**uod Pharicum vocant, sapore quideam  
sylvestre nardum plane imitatur: infert  
vero potum neruorum resolutionem cum  
delirio & conuulsione. Sed oportet post co-  
citatain vomitionem vinum absinthite po-  
tui dari, cum cinnamomo aut myrrha, aut  
nardo Gallico, quod saliuncam aliqui voca-  
uerunt, aut spicæ nardi drachmas duas &  
myrrha totidem obolos ammixto passo, aut  
irin cum croco in vino. Deraso vero capiti  
adhibenda hordeacea farina cum ruta trita  
& aceto.

Do

**T**Oxicum ex eo appellatum creditur, quod Barbarorum sagittae eo illinerentur. Qui biberunt, haud ita multo post labiorum & linguae inflammatione prehenduntur, itaque furor mentis incoercitus varias imagines obuerat: quare vix medicinæ locus est, raroque qui hauserunt incolumes evadere contingit. Vinculis attamen cohibendi, ut vinum dulce cum rosaceo bibere, protinusque reuomere, ac rapi quoque semē ex vino haurire cogantur. Priuatim verò iis conuenit quinquefolij radix, itemq; hircinus sanguis, aut caprillus eodem modo sumptus: proficit & roboris, fagi aut ilicis cortex cum lacte tritus. Profundunt etiam mala cotonea in cibo sumpta, aut trita cum pulegio & aqua bibita. Amomum deniq; benefacit, ut & balsami seimen ex vino. Quod si qui periculis defuncti sunt, logo tamen tempore in stratis decubunt: ac ubi surrexerē, sui impotes ac velut attoniti reliquum vitæ tempus transfigunt.

**I**XIAS, qui & Vlophonon appellatur, inter potandum quiddam tum odore tum sapore ocimo simile repræsentat: vehementem autem linguae inflammationem ac mentis alienationem inducit, & excretionum genus omne supprimit: murmura inter-

stinorum ac rugitus cū animi deliquio ciet,  
quamvis nihil interim egeratur. Post eductā  
vomitionibus maiorem veneni portionem,  
aut post alii deiectionem, auxilium præstat  
absinthij dilutum ex vino largiore aut aceto  
mulso bibitum, nec minus rutæ sylvestris se-  
men aut laserpitij radix: item tragorigani  
decoctum cum aliquo supradictorum, aut  
lacte, aut resina terebinthina: nardus etiam  
aut castorium aut laserpi singulorum inquām  
obolus ex vino. Quin & conueniunt nucum  
iuglandium nuclei triti cum resina, castori  
& rutæ singulorū drachma vna. Itidem cha-  
melegæ aut luci thapsiæ oboli duo cum aqua  
mulsa: & acetum calens largius epotum.

*De Cerussa. CAP. XXII.*

**C**ERUSSA clām exhiberi nequit: siqui-  
dem suo sese colore prodit. Ultrò verò  
sumpta, palatum, gingiuas, linguam ac ipsas  
dentium commissuras candore quodam in-  
ficit: excitat autē singultus, tussim & linguæ  
ariditatē, extremitumque refrigerationē,  
cum mentis alienatione ac motū difficultate.  
His dare conuenit aquam mulsam, aut fi-  
euuum vel maluæ decoctum, aut lac calidum,  
aut sesamum ex vino tritum, aut lixiuiam &  
farmentorum cinere factam, aut amaraci-  
num irinūmve oleum, aut Persicorum nu-  
cleos cum hordeide decocto, aut thus, aut gū-  
mi pru-

mi prunorum, aut humorem qui in folliculis v̄lmi continetur ex aqua tepida. Hisce præsidis vomitus euocetur. Conuenit etiam thapsiæ succus aut scammonij liquor, tenuis obolis ex aqua mulsa potus.

*De Fungis. CAP. XXIII.*

**F**VNGORVM alij toto genere, alij maiore copia nocent: omnes tamen spiritus via quasi laqueo interclusa præfocant. Quare confessim communī auxilio succurrendum, scilicet oleo citata vomitione. Mirificè vero iuuat lixiuia saimentitia, aut ē pyrastrī ligno, cum posca & sale aut nitro epota. Sed & pyrastrī fructus aut folia cum fungis decocta, strangulandi vim illam auferunt, estatāque eadem auxiliantur. Iuuat & stercus gallinaceum cum posca bibitum, itēmque aristolochiæ aut absinthij drachma vna cū vino: insuperque etiam mel seu in cibo sumptum, seu ex aqua potum. Sic & apiastrum cum nitro, panacis radix & semen in vino: fax quoque vini cremata cum aqua, & atramentum futorium ex aceto: denique radicula, sinapi aut nasturtium cū proflunt.

*De Gypso. CAP. XXIII.*

**G**YPSVM strangulationem infert, dū intra ventriculum lapidescit: quare & eadē quae aduersus fungos valēt auxilia, prætereaque maluæ decoctum, quod quidē olei

vice assumendum est: quoniam pingue cùm  
sit & ad vomitionem lubricas vias præstet,  
deradi corpora inimicè sinit: quod alioqui  
gypsum, ubi duratur in lapidem, facere solet.  
Quinetiam prodest oleum ex aqua mulsà  
aut fucum decocto, & lixiuia è fculneo aut  
farmentitio cinere facta, cum vino largiore  
pota: item origanum aut thymum cum lixi-  
uia vel aceto passòve: sed & maluæ decoctū  
clystere infundi oportet.

*De Taurino sanguine. CAP. xxv.*

**T**A V R I recens iugulati sanguis epotus,  
spirandi difficultatem strangulatimq;  
conicit, dum tonsillarū fauciūmq; meatus  
cum vehementi convulsione obstruit. Lin-  
gua inde rubescit, ac dentes inficiuntur, &  
inter ipsorum cōmissuras quædam concreti  
sanguinis vestigia conspiciuntur. Vomitum  
in hoc malo vitabimus, ne fortè grumi eius-  
modi attractu in sublime elati gulæ magis  
impingantur. Dari verò opus est quæ san-  
guinem concretum dissoluant & aluum sub-  
ducant, vti caprifici grossos lacteo succo tur-  
gentes ex posca. Nitrū quoq; per se auxi-  
liatur, nec lecus coagulum omne cum aceto,  
& laserpitij radix cum lasere ipso: itidem &  
brassicæ semen, & è cinere fculneo lixiuia.  
Prosunt & conyzæ folia cùm pipere, & rubi  
succus ex aceto. Aluum præterea soluere par-

cit: **ix**

est: siquidem iis qui euasuri sunt crocea per sedem egeri consuerunt. Postremò stomacho aluóque hordeaceam farinam ex aqua mulsa adhibere oportet.

*De Lacō intus coagulato. CAP. XXVI.*

**E**os quoque quibus lac assumptum intus coagulatur frequēs derepente strangulatio inuadit, quod intus lac in grumos quosdam coalescat. Hos iuuamus exhibētes antidoti vice coagulū ex aceto, id ipsūq; sāpiū bibere cogētes. Dainus & calamintħæ folia arida, aut succū etiam ipsum suniliter: aut laserpitij radicem liquorēmve ex posca: pariter & thymū ex vino, & coactiliario- rum lixiuam. Ceterū salsi nihil exhibea- tur, quoniam magis lac coiret & in caseum densaretur. At necq; hos vomitus adiuuat, si- quidem concretum lac sese in gula angu- stias insinuans, facile strangulat.

*De Argenti spuma. CAP. XXVII.*

**S**PUMA argenti pota, stomacho, ventri & intestinis grauitatem cū magnis tor- minibus affert: interdum & pondere suo inte- stina vulnerat, vrinām q; supprimit: intrume- scit verò corpus, plumbeāmque deformita- tem concipit. His secundū vomitionem subueniunt pota ex vino, sylvestris hormini semen, myrrħæ oboli duo, absinthiū, hyflo- pū, apij semē, aut piper, aut cypri flos ex vino;

rasbizi

necnon & simus palumbinus aridus cum  
nardo & vino,

*De Argento vino.* CAP. xxviii.

**A**RGENTVM viuum potum, eadem quæ  
argenti spuma infert: quapropter & ea-  
dem exposcit auxilia. Lac autem largius po-  
tum auxiliari constat. Vomitus etiam mini-  
mè negligendus est.

*De Calce, Sandaracha & Auripigmento.*

CAP. xxix.

**C**ALX, Sandaracha & Auripigmentum,  
eosdem ventris & intestinorum crucia-  
tus cu vehementi rorione inferunt. Quam-  
obrem exhibenda quæcunq; simul & acri-  
moniam temperandi, & facilem vomitione  
lubricamq; alii præstanti vim habent, cu-  
iusmodi ibisci & maluæ succus est: natura e-  
nim vtriq; perlubrica. Præbendū etiam de-  
coctum feminis lini, aut tragi frumentacei  
vel oryzae, lacq; cum aqua multa copiosum,  
iura denique pinguia bonique succi.

*De Lepore marino.* CAP. xxx.

**H**AUSTO marino lepore, yirosis quidam  
sapor qualis putentium piscium perci-  
pitur: procedente vero tépore, venter dolore  
afficitur, yrinaq; sistitur; quod si quando ea  
reditur, purpureo colore conspicitur. Ac-  
cedit & omnis generis piscium auersatio  
atque odium, & fudor grautolens: biliosus  
itidem

itidem vomitus, interdum sanguine mixtus, subsequitur. Hoc malo circumuentis dampnum lac asinimum aut passum assidue, nec non & radicis malvae foliorumque decoctum, aut trita cyclamini radix cum vino, aut veratri nigri vel scammonij succi drachma cum aqua mulsa & Punicorum nucleis; aut cedria contrita ex vino: benefacit & anserinus sanguis adhuc calens epotus. Sed cum pisces omnes respuant & auersentur, solos fluuiatiles cancros elixos esitant & concoquunt, a quibus non mediocriter adiunatur. Signum porrò salutis fuerit, si pisces in cibos admittere cœperint.

*De Rubeta & Rana palustris.*

CAP. XXXI.

**T**V M Rubeta, tum etiam Rana palustris assumpta, corporis tumorem ciet, cum intenso pallore qui buxi colorem imitatur: accedit spirandi difficultas & grauis halitus oris singultusque, ac interdum inuita genituræ profusio consequitur. His qui sumptere facile succurriritur secundum vomitionem largiore meri potu & arundinis radicis binis drachinis, aut cyperi totidem. Cogendi quoque sunt ut vehementi ambulatione incitatique cursu corpus exerceant, ob torporum qui ex hoc malo nascitur. Quintiam quotidie lauandi sunt.

Tt. j.

*De Hirudine.* CAP. XXXII.

**D**E VORATAE cum aqua hirudines si  
Dori vetriculi adhæserint, tractione par-  
tium nonnullam suctionis imaginem præ-  
bent: atque hoc signo hausta hirudo depre-  
heditur. Eas muria sorbitione excutit, & Cy-  
renaicus liquor, aut lasperitij folia vel betæ  
cum aceto pota, [aut epota niuis glebula cū  
posca.] Nitrum præterea ex aqua gargarizat-  
tur, itemque atramentum sutorium aceto di-  
lutum. Si verò faucibus hæserint, demissò in  
aqua calidæ solium ægro, frigidam ore con-  
tinendam exhibeto, & ad eam protinus hi-  
rudines profilient.

*De Veratro albo, thapsia, elaterio & similibus.*

CAP. XXXIII.

**P**Rovidendum etiam iis quæ, quā-  
uis auxiliij ferēdi gratia exhibētur, haud  
minora tamen pericula quām venena cetera  
ſepiūs afferunt: qualia sunt veratrū album,  
thapsia, elaterium, & agaricum nigrū: siquidem  
hæc animam suffocant, aut inmodicè  
purgant. Ac præfocationibus quidem ea me-  
dentur, quæ in fungorū similiūmque men-  
tione retulimus: nimios autem deiectionum  
impetus medicamentis quæ egestiones sup-  
primunt coercebimus. Neque verò negli-  
genda quæ paululum quidē nocere viden-  
tur, interim verò periculo non vacant: quo  
in nu-

in numero sunt sylvestris ruta, melanthium & recentes pappi, hoc est, flores spinæ quæ cactos appellatur. Eos porrò qui talia sum-  
psere sola vomitio restituit.

*De aqua frigida & ceteris que itidem nobis do-  
mestica & in quotidiano vita usu sunt.*

## C A P. XXXIII.

**A**QVA etiam frigida vnicō haustu ac sine interspiratione bibita, aut meracū vinum passumne liberalius haustū, præser-  
tim à balneo aut cursu & concitatiore qua-  
uis exercitatione, stragulatus ac dolores in-  
fert. In eiusmodi casu venæ sectio protinus adhibita, itēmque per enemata vacuatio imminētibus liberat periculis. Hactenus de notis yeneficiorum, eorumque cōuenienti-  
bus remediis, necnon & præcauēdi modo,  
dictum esto. Subiungeremus & visitata anti-  
dota maximē necessaria, quæque inter cete-  
ra præclarè auxiliari constat: quale est Mi-  
thridatum & quod è sanguinis variis gene-  
ribus, & quod è scincio paratur. Verū quo-  
nam inter antidota accuratissimē descripta  
sunt, visum est hoc loco ab eoru descriptio-  
ne supersedere.

T t. ii.